



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. II. Præcepta institutioni iuuentutis necessaria omnibus data.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

C A P V T II.

Præcepta institutioni iuventutis necessaria, omnibus data.

Cordis & capitis cura præcipua est medicis.

Stultitia principis frui, quam prudentia regi plerique malant.

Pessimus pater, qui corruptor hæditis est.

Virtutem ipsam exstinguere tenet.

Quod pessimus docent, mali fiunt.

Romani mores quomodo defecerint.

quicquid velis facere. Itaque vivit unusquisque, in talibus demoratus ut vult, & quolibido trahit, ut ait Euripides: at hoc malum, & vitiosum est. Non enim oportet existimare servitutem esse, vivere ad reipubl. administranda formam accommodare, sed salutem.

§. 5. Præcipua igitur cura, optimatum filiis adhibenda, est summa principum. In horum institutione, publico pessimo peccatur, quæ culpa populorum excidiis luitur. Agri sunt principum filii, ex quibus multitudini, victus præbetur. Eoque maior cura necessaria est, quo difficilius inuenitur, tam forti animo vir, qui futurum principem offendere audeat. Plerique gratiosi apud principem esse malunt, quam facere principem bonum. Quorum ratio tam ab officio recedit, quam medicorum, qui indulgendo, ne displiceant, occidunt ægrotum. Pauci sunt parentes, qui filios nolint esse viros bonos, plerique etiam postulant, ut se meliores sint. Sed inuenti tamen sunt, qui improbos mallent. Heliogabalus filium sibi similem optabat, & Alexandrū Cæsarem, in suos mores corrumpere, summo imperio conatus est, ita rem narrat Herodotus in Elagab. Postea igitur quam Alexander Cæsar est appellatus, volebat eum statim Antoninus suis illis institutis imbui, ut scilicet choros agitante, saltansque, & sacerdotij particeps, vestitu eodem, atq; artibus vteretur: quem tamē mater Mammaea, ab omni illa fœditate vindicabat, summissis clam doctoribus omnium disciplinarum, modestiamque edocens, ac palestra, virilibusque gymnasiis insuefaciens, Græcisque eum pariter, & Latinis literis insituens. Quibus rebus magnopere Antoninus indignabatur, iamque adoptionis, imperiique participati panitebat. Quapropter omnes illius doctores aula exegit, quosdamque illustriores partim morte, partim exilio affecit, ridiculas allegans causas, quod filium ipsius corrumpere, neg, agitare eum choros, atq; ebacchari sinnerent, sed ad modestiam componerent, & virilia officia edocerent.

Vix esse illos arbitror, qui ista doceri suos velint. Multi tamen permittunt. Infantiam deliciis solvant, turpia dicta puerorum, quorum illi sensum nondum habent, arrisui probant, indubii omnium malorum, quæ facturi sunt, auctores futuri. Peccare docent, qui sinunt, qui assuefaciunt. Grauius id Quintilianus, in suis Romanis exagitat, & censet: de orator. Iam primum (inquit) cuius, filius ex casta parente natus, non in cella emptæ nutritis, sed gremio, ac sinu matris educabatur, cuius præcipue laus erat, tueri domum, inferuire liberis. Eligebatur autem aliqua natu maior propinqua, cuius probatis, spectatisq; moribus omnis cuiuspiam familia soboles committeretur, coram qua neg, dicere fas erat, quod turpe dictu, neg, facere, quod inhonestum factu videretur. Ac non studia modo, curasq; sed remissiones etiam, lususq; puerorum, sanctitate quadam, ac verecundia temperabant. Sic Cornelia Gracchorum, sic Aureliam Cæsaris, sic Atiam, Augusti matrem præfuisse educationibus, ac produxisse principes liberos accepimus. Quæ disciplina, & severitas eo pertinebat, ut sincera, & integra, & nullis prauitatibus detorta unuscuiusque natura, toto statim pectore arriperet artes honestas, & siue ad rem militarem, siue ad iuris scientiam, siue ad eloquentia studium inclinasset, id solum ageret, & vniuersum hauriret. At nunc natus infans, delegatur Graculo alicui ancilla, cui adiungitur vnus, aut alter, ex omnibus seruis, plerumque vilissimus, nec cuiquam serio ministerio accommodatus. Horum fabulis, & erroribus, teneri statim, & rudes animi imbuuntur. Nec quisquam in tota domo pensi habet, quid coram infante aut dicat, aut faciat, quando ipsi parentes nec probitati, neque modestie paruulos assuesciant, nec lascivia, & libertati, p. quæ paulatim impudentia irripit, & sui alieniq; contemptus. Tā vero propria, & pecuniaria huius vrbis vitia, pene in vtero matris concipi mihi videntur.

Eadem nunc etiam maiore probro peccant magnam partem, apud multos enim est honoratior agazō, quam pædagogus.

Nemo se Christianorum excuset: Facientia culpam obtrinet, qui quod potest corrigere, negligit emendare.

§. 1. **M**ULTA mihi patribus, matribusque dicenda, pro filiis contra inutilem, & Reipublicæ noxium amorem: Sed vereor, ut capiant, ideo cauam ad magistratus referam, eius enim muneris est aduigilare, ne sceleratus Reipublicæ ciuis educetur. Si enim ebriosus, decoctor, adulter, turbulentus, rapax, calumniator euadat, idem proditor erit patriæ, si poterit. Quædam vero generatim propono, non quasi ignota, sed quæ in mores induci cupio: Sunt enim iam dudum neglecta.

§. 2. Primum præceptum necessarium & difficile est: Ut patris & matris, fratrumque, & agnatorum vita, sit disciplina noui Quiritis. Vere discet, quod in patre vident. Hoc primum putat licere, quod patrem facientem intuetur. *Gratum est, quod patria ciuem, populoque dedisti, si facis ut patria sit idoneus.* Non facies, si exemplo tuo monstas vitia sequi. Magna vis exempli est ad omnes, tota est in docendis teneris: iudicare non possunt; quæ vident, ea sequuntur. Pullos venatum aquila educit, seruare feram a maiore, minor canis adducit, iuuenulus iugo colla subiicit, ante comitatus bouem. Ita filius dignitatem esse putat, non laborem, quo patrem videt occupatum. *O te beatum adolescentem, qui eum potissimum imitandum habes, cui naturæ simillimum esse voluit.* Plin. lib. 8. Ep. 13. Magna felicitas filii, non diues, aut potens, sed bonus pater. Interdum ex Dauide Absolon, ex Ezechia Manasses, ex Iosia Ioahas, & e contrario ex bonis mali nascuntur, & sunt Heroum filii, noxæ. Sed ut facile est, a paterna virtute degenerare posteros: ita probos euadere eos, qui paternorum flagitiorum rudimenta habuerunt, est rarissimum: Illosque tales merito Dei filios vocaueris. Quia virtute naturam superarunt.

§. 3. Secundum eodem pertinet. Ut familiam honestam, piam, pudicam habeat parens. Grande, & late patens malum improba familia; quod sanctissimis imposuit, regiaque domos euertit. Miraris in sanctissimi regis, & prophetae aula, Ammonem incestum, Absolonem cæde fratris oblitum, parentis iugulum petere. Desiste mirari, Ioab duorum principum interfectorem, rerum potiebatur. Achitophelis consilium erat, quasi consilium Dei: Ille qui filium in parentis thorum, & sanguinem accendit. Tam obest filii moribus sceleratus seruulus, quam malus pater. Nam coram qualicumque patre verecundiam peccati, reuerentia facit, & natura. Improbi Pseudoli, Sosiaq; dum filios familias nobilitant flagitiis, suo commodo student. Theodosio nihil in votis altius sedit, quam ut Arcadio, & Honorio filiis, bonos ministros, morituros assignaret. Pestilentiosum, leprosum, epilepticum famulum auerfatis, domum enim funestaret, atq; infamaret, & contagia in contubernales diuideret: Improbos ministros pateris, vel amici commendatione, vel obsequio delinitus, qui fœda lue filios inficiunt. Et quod miserrimum est, illum tibi inimici efficiunt.

§. 4. Perfarum institutum imitare, ut filios a familiaria, a fori conspectu, etiam a tuo, & matris, si tibi in turba agendum est, remoueas. Fortiter hic obdura, vince affectus tuos; sapientia virilis animi, teneritudinem amoris vincat. Perfarum filii, seorsum a familiaria agebant, Romani pueritiam domi custoditam, iuventutem in bello agebant. Adolescentuli statim castrensibus stipendiis imbuebantur, ut imperare parendo, duces agere, dum sequuntur, assuescerent. Plin. l. 8. Ep. 14. Causam reddit Tac. ann. 2. Iuuenes vrbani luxu diffusentes, melius in castris habentur. Perfa, filios ante quadriennium in conspectum non admittebant. Galli non nisi

Boni magistratus est intercludere omnes malorum vias.

Velocius & citius nos corrumpunt vitiorum exempla domestica.

Iuuentia peiora magis exemplis quam ratione capiuntur.

Parentum monita excutunt seruulorum blanditie.

Plures corrumpendis filiis, quam virtute ad libertatem tendunt.

A filiis tuis caue, & a domesticis tuis attende. Prov. 23.

nisi adultos. Verum eo mittat, ubi in virtute proficiat. Ne absentes in seductores impingant, ubique enim corruptelæ sunt.

Peregrinatio pueros vagos efficit, non bonos.

§. 5. In ablegando tamen modum seruet. Ne procul peregrinatum, aut longo tempore iuniores ablegat, sed vicinis tradat doctoribus, ut de filii profectu cognoscere queat; ne corruptum peregrinæ gentis moribus, oblitum paterni idiomatis, contemptorem legum, ac consuetudinum suæ gentis, illum recipiat. Tenera namque ætas, omnia illa combibit, sed mala celerius. Indulgentius peregre educatur, cum procul, & diu abest, nisi summa cura adhiberet. Deinde puerorum peregrinatio inutilis est, neque enim situm oppidorum, commoda fluminum, opportuna portuum, multo minus mores, instituta, legesque gentium notare possunt. Itaque prudentiæ non seruit, ingenio, & studiis obest illa aberratio, ex qua plerique peregrina vitia retulerunt, patriam virtutem oblii.

Nisi virgultum flexeris, frustra contra rigorem arboris pugnabis.

§. 6. Lacones imitetur parens: Ut seuerus sit, laboribus, & aduersis mista educatio. Habeat paruulus quem reueretur, habeat, quo negato doleat. Cogatur & quandoque cedere. Nisi enim multis frenis coerceatur, cum prudentia careat, maximis, ac variis desideris agitur necesse est; ut si habenas permiseris, petulantissimus, & obstinatissimus euadat. Imo naturam induet, quam nulla postea disciplina excutiet. Tollantur igitur deliciae, vereatur ac timeat. Tyrannus est, pater, filio indulgens. Tyrannorum seuitiæ pars fuit, eorum, quos perditos volebant, liberos luxu corrumpere. Dionysius Sicilia Tyrannus, cum Dionio nocere alio modo non posset, uxorem eius nubere alteri iussit, filium ita educari, ut ante annos pubertatis, vino, epulis, scortis obrueretur; adeo ut nullo tempore sobrius esse sineretur. Rediit domum parens pulso tyranno, sed cum appositis custodibus ad frugem reducere filium conaretur, magno suo dolore intellexit, quantam vim primæ educationis rudimenta haberent. Filius enim indignatus, assuetas voluptates subtrahi, ex summa se adium parte præcipitavit, vitamque cum deliciis abrupt. Omnes itaque vias prudens pater occupabit, totaque in id Republica incumbet, ne ad vitia aditus sit; nam postquam venena sua iam in vitalia effuderint, aut leuata est medicina, aut periculosa adhibenda, quia magnis malis, lenia remedia cedunt. Hinc abdicaciones, carceres, custodias, & occultæ interdum neces. Quorum malorum causa, sæpe est ex educationis indulgentia. Verissimum est, quod Aristoteles Eth. 1. pronunciauit. Ου μικρὴν εὐσφίρει τὸν ἄνθρωπον, ἢ ἔστω ἐν τοῖς ἐν νύκτι ἐνδεδυγμένον, ἀλλὰ καὶ παρὰ τὸν ἡμέραν. Non paruum refert hoc vel illo modo à teneris consuefcere, sed plurimi omnino; imo vero totum ex eo pendet. Itaque erga filium, quem præcipue diligis, austerior, & tristior appare.

Educationis initia totam vitam tenent.

Tu modo quos in spem statuas submittere gentis, Præcipuum iam inde à teneris impende laborem.

Sit grauis & paterna non aspera seueritas.

§. 7. Disciplina suauitate condiatur: Constanti, & æquabili grauitati, seueritati, imperio, sit adiuncta lenitas, quæ labores, exercitationesque velut honorificas, & gratas efficiant: Nolo sic patrem esse seuerum, ut solo metu vel studiorum, vel aliarum functionum labores, filius obeat; Nam asperitas imperantis, res alioqui gratas, & ingenio adolescentum consentaneas, reddit odiosas. Seueritas igitur in eo versetur, ut à vitis, ignauia, sumptuque retrahatur, lenitas, ut ad honesta ciuilitate, suauiterque traducatur. Benefactorum præmia semper speret, veniam, & impunitatem delictorum, difficillimam esse experiat.

Multo maior est ingeniorum diuersorum varietas, ut cum minorum, ad particularia ventum est, diuersis, & contrariis penuriam vultu ne utendum sit artibus. Minis alii ad officium diuerti.

§. 8. Ut indolem cuiusque educator agnoscat, Tanta est ingeniorum diuersorum varietas, ut cum minorum, ad particularia ventum est, diuersis, & contrariis penuriam vultu ne utendum sit artibus. Minis alii ad officium diuerti.

cuntur, alii indignati, quæ affecta habebant, abiciunt; alii attoniti fugam capeffunt. Laude bona indoles affurgit, leuia ingenia turgescunt, superba fiunt contumacia. Multis nocuit, laudatos esse. Verum in hac ingeniorum varietate, multi, multis impo- nunt. Itaque hæc generalia omnino sunt, quæ dixi. Nulla indoles adeo bene nata, adeo proba est, quam exempla parentum, & familie non corrumpant, nulla quæ seueritate non sit constringenda, lenitate non fouenda, quia omnes, virtutum seminaria animis infusa acceperunt, quæ ut in fruges excrefcant, non modo opportuno sole, & imbre, sed ventis etiam, frigoreque, ut firmentur, agantque radices, indigent. Alia de sobrietate, de magistris eligendis, peculiari indigent institutione, nunc generatim hæc monuisse sufficiat.

Nulla vitæ tam felix, quæ non indigeat puratione.

CAPVT III.

Curam infantum quoque conuenire Reipublicæ.

§. 1. SUMMA cura, fortique homines indigent, quia tenerissima animalia sunt, summa coercionem, quia impetuosa, ac leuia: Ab ipso ortu igitur, ac primordiis educationem illorum tradamus.

Omni dies, omnis hora, quam vni sumus operatur, imo quam nihil.

Primo quidem eorum, qui nascuntur, interest, ut sit parentum in matrimonio ineundo prudentia. Epilepticos, leprosos, carcinomate, alioque morbo laborantes, ne diram hæreditatem, in posteros contagione transfundant, nuptiis abstinere consilium est. Posset enim talibus familiis ciuitas repleri. Nam si eorum morborum ille horror est, & periculum, ut etiam, quamuis matrimonii nexus indissolubilis omnino maneat, cohabitatio tamen, & vitus coniugii tollatur, cui dubium esse possit, imprudenter eas nuptias celebrari, quarum diuortium propter contagionis periculum prudenter instituitur? Priuata damna illa sunt, sed in Republicam redundant. Cessare vero obligationem, quæ in cohabitatione, & vitu coniugii consistit, si horrido, & contagioso malo coniugum alter laboret, docet doctissimus, & diligentissimus, noster Thomas Sanchez lib. 9. de matr. disp. 24. num. 15. 16. 17. 18. Tertia sententia, cui omnino adhareo docet minime teneri, ubi iudicio medicorum notabilis infectionis periculum immineret sano, ex debiti redditione. Nec obstat text. cap. 2. de coniugibus leprosum: intelligitur enim, ubi ea redditio, non cedit in reddentis notabile damnum. Atque ita intelliguntur D. Thom. & reliqui Doctores citati numero 15. pro prima sententia, ut constat ex ratione, quæ eam probant: nempe, quia ex tam breui coniunctione, non imminet infectionis periculum. Quare manifeste sentitur eo imminenti, cessare reddendi obligationem. Nec obest etiam ratio secunda sententia, allata numero precedenti. Quia nullus se obligat per matrimonium contractum ad reddendum, nisi salua indiuidui incolumitate: ut numero 2. probauimus. Atque rationes ibi adductæ aperte probant hanc sententiam. Illamque tuerentur ex Theologis Durandus 4. d. 32. q. 1. num. 8. vbi Maior 1. q. 1. argumento 1. contra 3. Concl. Palud. q. 1. a. 2. num. 7. Almain. q. vnica. Soti. q. vnic. art. 1. ad 2. Ouanus q. vnic. post 2. propositionem. Celaia q. 1. argumento 2. Palacios disp. 1. fol. 704. D. Ant. 3. p. tit. 1. cap. 20. §. 10. ad finem, in 4. casu. Caietan. summa, verb. matrimonium. c. ultimo de peccatis in vsu matrimonij vers. Primus est. Victoria summ. de matrimonio. num. 275. Medina cap. de restitutione q. 19. §. ultimo. Petrus de Soto lect. 16. de matrimonio, §. Sunt etiam præter hæc. Ledesma 2. p. 4. q. 66. art. 1. fol. 524. col. 3. Angles floribus 1. p. de matrimonio. q. 6. de obligatione soluendi debitum. art. 1. diff. 1. Pedraza summa, præcepto 6. §. 18. Enriquez lib. 11. de matrimonio. c. 15. num. 7. Manuel 1. tom. summa, 2. editione, cap. 243. num. 2. Bartholomæus à Ledesma dubio 71. de matrimonio, conclus. 1. Petrus de Ledesma de matrimo. quasi. 64.

Matrimonia leproforum incensula.

Coniugii alter leprosus sit, quod ad totum separari possunt.